

BL 768

OPERA OMNIA
DESIDERII ERASMI
ROTERODAMI

RECOGNITA ET ADNOTATIONE CRITICA INSTRVCTA
NOTISQVE ILLVSTRATA

UNIVERSITE CATHOLIQUE
DE LOUVAIN - U.C.L.
PHILOSOPHIE ET LETTRES
BIBLIOTHEQUE

BL 768

ORDINIS PRIMI TOMVS PRIMVS



MCMLXIX

NORTH-HOLLAND PUBLISHING COMPANY AMSTERDAM

TIMON SIVE MISANTHROPVS

TIM. O Iuppiter Philie, hospitalis, sodalicie, domestice, fulgorator, iusiurandice,
nubicoge, grandistrepe, et si quid aliud tibi cognomen attoniti poetae tribuunt,
maxime quum haerent in versu, nam tum illis tu multinominis factus, carminis
ruinam fulcis, metrique exples hiatum – vbi tibi nunc magnicrepum fulgor,
grauifremum tonitru, vbi ardens, candens ac terrificum fulmen? Nam haec om-
nia iam palam apparet nugas esse fumumque poeticum, nec omnino quicquam
praeter nominum strepitum. Sed decantata illa tua arma eminus ferientia ex-
promptaque nescio quomodo penitus extincta sunt, frigentque adeo vt ne mini-
mam quidem scintillulam iracundiae aduersus nocentes reliquam obtineant.
Itaque citius quiuis ex his qui peieraturi sunt, extinctum ellychnium metuerit,
quam flammam fulminis cuncta necantis: vsqueadeo titionem quempiam in sese
vibrare te putant, vt incendium aut fumum ab illo proficisciens nihil quicquam
formident, verum hoc solum vulneris inferri posse iudicent vt fuligine com-
pleantur. Quibus rebus factum est vt iam Salmoneus tibi sit ausus etiam obto-
nare neque id admodum ab re, quippe aduersus Iouem vsqueadeo ira frigidum
vir ad facinora feruidus audaciaque tumidus. Quidni enim faciat, vbi tu perinde
ac sub mandragora stertis, qui neque peierantes exaudias, neque eorum qui
flagitia committunt, respectum agas? Caecutis autem lippitudine et hallucinaris
ad ea quae fiunt, auresque iam tibi obsurduerunt, instar horum qui aetate defecti
sunt; quandoquidem quum iuuenis adhuc esses, acrique animo vehemensque
ad iracundiam permulta in homines maleficos ac violentos faciebas, neque tum
vnquam tibi cum illis erant induciae, sed perpetuo fulmen erat in negocio, per-
petuo obuibrabatur aegis, obstridebat tonitru, fulgor continenter iaculorum in
morem densissime ex aedito loco deuolantium torquebatur. Terrae quassatio-
nes, cribri instar frequentes, ad haec nix cumulatim, neque non grando saxorum
in morem, atque, vt tecum grandius loquar, imbruesque rapidi et violenti ac

LB 255

5

10

15

20

25

3 attoniti B, intonantes A | 6 grauifremum B, graniferum A | 11 his B, iis A | 16 ira A B,
ita C | 17-18 perinde ac MS C, om. A B | 24 Post aegis interpungit MS C, ante illud A B

LB 256 flumen quotidie exundans. Hinc tantum repente Deucalionis ae|tate naufragium ortum est, vt omnibus sub aqua demersis vix vnica scaphula seruaretur, quae in montem Lycorem appulit humani generis quasi scintillulas quasdam seruans, vnde sceleratus etiam genus in posterum propagaretur. Nimirum igitur dignum secordia praemium ab illis reportas, quum iam nec sacra faciat tibi quisquam, nec coronas offerat, nisi si quis obiter in Olympicis: ac ita ne is quidem rem admodum frugiferam facere videatur, sed priscum quendam ritum magis referre. Ac paene Saturnum, o deorum generosissime, te reddunt magistratu abdicantes. Omitto loqui quoties iam templum tuum sacrilegio compilari, quum tibi etiam ipsi in Olympiacis manus admoliti sunt, atque interea tu altifremus ille pigritabar vel excitare canes vel vicinos aduocare, vt auxilio currentes illos comprehendenter quum etiamdum ad fugam adornarentur. Sed egregius ille gigantumque extinxor et Titanum victor sedebas, quum tibi caesaries ab illis circumtonderetur, decemcubitale fulmen dextra tenens. Horum igitur, o praeclare, quis tandem erit finis, quae tu adeo secure despicias? Aut quando de tantis maleficiis poenas sumes? Quot Phaethontes aut Deucalliones satis idonei sint ad expiandum tam inexhaustam morum iniquitatem? Etenim, vt de communibus sileam, de iis quae mihi acciderunt dicam. Quum tam multos Athenienses in sublime euixerim, ex pauperrimis diuites reddiderim, cunctisque quotquot opus haberent, suppeditarim, imo semel vniuersas opes in amicos iuuandos effuderim, simulatque his rebus ad inopiam deueni, iam ne agnoscor quidem ab illis, nec aspicere dignantur me qui dudum reuerabantur, adorabant, meoque de nutu pendebar. Quod si quando per viam ingrediens forte fortuna in eorum quempiam incidero, perinde vt euersam hominis iam olim defuncti statuam ac temporis longitudine collapsam praetereunt, quasi ne norint quidem. Porro alii procul conspecto me alio sese detorquent, existimantes sese inauspicatum abominandumque visuros spectaculum, quem non ita pridem seruatorem et adiutorem suum esse praedicabant. Itaque prementibus malis ad extrema redactus consilia, renone arrepto, terram exerceo 250 quaternis conductus obolis, atque hic cum solitudine cumque ligone philosophor. Hoc interim lucri mihi videor fa|cturus, quod posthac non intuebor plerosque praeter meritum sequundis fortunae successibus vtentes. Nam illud vel maxime vrit. Iam igitur tandem aliquando Saturni Rheaeque proles, excusso profundo isto grauique somno (nam Epimenidem quoque dormiendo vicisti), denuo iactato fulmine aut ex Oeta redaccenso ingenti redditâ flamma iram aliquam strenui illius ac iuuenilis Louis ostende, nisi vera sint quae a Cretensibus de te tuaque sepultura feruntur.

LB 257 300 IV. Quis hic est, Mercuri, quem audio sic vociferantem ex Attica ad radicem montis Hymetti, horridus totus ac squalidus pelleque hircina amictus? Fodit

6 ne *E*, vt ne *A B C D* | 11 altifremus ille *B*, allifreme *A* | 16 quando *MS C*, quomodo *A B*; Phaethontes *MS C*, Phaetontes *A B* | 29 renone *B*, sago *A* | 35 denuo iactato *B*, vibrato *A*; redaccenso *B*, relucens *A* | 38 radicem *B*, crepidinem *A*

autem, vt arbitror, nam pronus incumbit homo loquax et confidens. Mirum ni philosophus est, neque enim alioqui adeo impia nefariaque in nos fuerat dicturus.

MER. Quid ais, pater? An non nosti Timonem Echecratidis filium Colytensem? Hic nimirum est qui nos saepenumero in sacris legitimis conuiuo accepit, ille repente diues factus, ille qui totas hecatombas, apud quem splendida Iouialia festa consueuimus agitare.

IVP. Hem, quaenam ista rerum commutatio? Hiccine honestus ille diues, quem tam frequentes cingebant amici? Quid igitur accidit vt hoc sit habitu, squalidus, erumnous, fossor conducticius, vti coniicio, quum tam grauem ligonom gerat?

MER. Ad hunc modum illum quodammmodo probitas euertit atque humanitas et in omnes quicunque egerent misericordia. At re vera vecordia potius facilis que nullusque in suscipiendis amicis delectus, quippe qui neutiquam intellexerit sese coruis lupisque largiri. Quin magis quum a vulturibus tam multis misero iecur eroderetur, ob id amicos eos necessariosque iudicabat, quasi benevolentia erga sese afficerentur, quum illos epulae magis caperent. Ergo posteaquam ossa penitus nudassent circumrosissentque, deinde si qua medulla suberat, hanc quoque admodum diligenter exuxissent, aufugerunt exuccum et radicitus desectum destituentes, adeo vt postea ne agnoscant quidem aut aspiciant, tantum abest vt sint qui suppeditent impartiantque. Has ob res fossor et sago, vt vides, opertus pelliceo vrbe prae pudore fugiens, mercede terram exercet, aduersus ingratos atra bile stomachatur, qui quidem sua benignitate ditati admodum fastuose nunc praetereant ac ne nomen quidem an Timon vocetur nouerint.

IVP. Atque profecto vir neutiquam fastidiendus neque negligendus, et iure optimo indignatur qui iis tantis in malis agat. Quare sceleratos istos adulatores ipsi quoque fuerimus imitati si eum virum neglexerimus, qui tantum taurorum et caprarum pinguissimas quasque nobis in aris adoleuerit, quarum nidor etiamdum mihi in naribus residet. Tametsi propter negocia maximamque turbam peierantium, tum vi non iure agentium neque non aliena rapientium, praeterea ob formidinem quam mihi pariunt sacrilegi, qui quidem tum multi sunt, tum obseruat difficles, adeo vt ne minimum quidem nos conniuere sinant, iampridem profecto ad Atticam regionem oculos detorsissem, maxime posteaquam philosophia et de verbis digladiationes apud istos increbuerunt, ita vt pugnabitibus inter se istis vociferantibusque ne exaudire quidem mortalium vota liceat. Vnde mihi necessum est aut auribus obturatis sedere aut dirumpi ab eis conficie qui virtutem quandam et incorporea quaedam merasque nugas ingenti vociferatione connectunt. Haec in causa fuerunt vt hunc quoque neglexerim,

¹ mirum ni B; numnam A | 4 Colytensem MS C, Colytensem A B | 6 ille ... ille B, is ... is A | 19 aufugierunt A B C, corr. D | 20 desectum A B C D, defectum E | 22 vt vides MS C, om. A B | 29 caprarum MS C, ouium A B | 33 coniuere A, corr. B

quum haud mediocriter de nobis sit meatus. Quod reliquum est, Mercuri, tu Plutum adducens quantum potes ad istum abeas. Porro Plutus vna secum ducat et Thesaurum, et vtrique apud Timonem perseverent. Neque vsque adeo facile demigrent, etiam si quam maxime rursum illos per bonitatem ex aedibus exegredit. Caeterum de palponibus illis atque ingratitudine qua in hunc sunt vni, in posterum consultabo. Poenas daturi sunt simulatque fulmen instaurauero. Nam fracti sunt in eo retusa cuspide duo e radiis maximi, quum nuper audiuit in sophistam Anaxagoram iacularer, qui suis familiaribus suadebat nullo pacto esse vllos nos qui dii vocaremur. At illum quidem errore non feriebam, properea quod Pericles obtenta manu eum protexerit. Caeterum fulmen in Castoris ac Pollucis templum detortum tum illud exussit, tum ipsum parum abfuit quin ad saxum comminueretur. Quanquam interim vel id supplicii satis magnum in istos fuerit, si Timonem conspicerint egregie locupletem factum.

LB 258 MER. Quantum | habet momenti altum vociferari et obstreperum audacemque esse? Idque non iis modo qui causas agunt, verum etiam qui vota faciunt conducibile. En mox e pauperrimo diues euaserit Timon, qui se in precando clamosum et improbum praestiterit, Iouemque reddiderit attentum. Quod si silentio fodisset incuruus, etiam nunc foderet neglectus.

PLVT. At ego, Iuppiter, haudquaquam ad istum redditurus sum.

20 IVP. Quid ita non redditurus, optime Plute, praesertim a me iussus?

PLVT. Quoniam, per Iouem, iniuria me affecit eiiciens et in multa fragmenta dissecans, idque quum illi paternus essem amicus ac me, paene dixerim, fuscini ex aedibus extrusit, nec aliter quam ii qui e manibus ignem abiiciunt. Num rursus ad istum ibo, parasitis, adulatoribus et scortis donandus? Ad eos me mitte, o Iuppiter, qui munus intellecturi sint, qui amplexuri, quibus equidem in precio sim et maiorem in modum exoptatus. At hi stupidi cum Inopia commercium habeant, quam nobis anteponunt, atque ab ea accepto sago pelliceo ligoneque sat habeant, quum quatuor lucrantur obolos decem talenta contemptim dono dare soliti.

30 IVP. Nihil istiusmodi posthac in te facturus est Timon, quippe quem ligabo abunde satis corripuerit, nisi prorsus nullum dolorem sentiunt illius ilia, te videlicet potius quam Inopiam esse praeoptandam. At tu mihi querulus admodum videris esse, qui nunc Timonem incuses quod tibi patefactis foris libere permiserit vagari neque includens neque zelotypus in te. Porro alias diuersa de causa in diuites stomachabare, quum diceres te ab illis repagulis clauibus ac signorum obiectaculis impressis ita fuisse conclusum, vt ne prospicere quidem in lucem tibi liceret. Id igitur apud me deplorabas, affirmans praefocari te nimis tenebris, eoque pallidus nobis occurrebas et curis confectus, digitis etiam-

4 bonitatem *E*, benignitatem *A B C D* | 10–12 caeterum ... comminueretur *B*, in lacunar retortum illud exussit, neque multum abfuit quin ipse quoque in saxum impactum fuerit elitus *A* | 19 ad istum *B*, *om. A* | 24–25 mitte o *D*, mittito *A B*, mitto *C* | 27 atque *A B C*, utque *D*, ut *E* | 28 quatuor *MS C*, duos *A B* | 30 ligo *D*, Ligon *A B*, ligon *C* | 32 querulus *B*, calumniosus *A* | 32 admodum *B*, admodum semperque tuae penitens sortis *A*

num ex assiduo colligendi coaceruandique vsu contractis contortisque. Quod si quando daretur opportunitas, aufugiturum quoque ab illis te minitabare. In summa, rem supra modum acerbam iudicabas in aereo ferreoue thalamo, Danaes exemplo, virginem asseruari atque a scelestissimis educari paedagogis, foenore et computo. Proinde absurde facere aiebas hos quod te praeter modum adamarent neque (quum liceret) frui auderent neque quum ipsis esset in manu amore suo secure vterentur, sed vigiles obseruarent ad signum ac seram oculis nunquam connuentibus neque vsquam dimotis, semper intuentes, abunde magnum fructum arbitrantes non quod ipsis fruendi facultas adesset, sed quod nemini fruendi copiam facerent, non aliter quam in praesepi canis nec ipsa vescens hordeis nec equum famelicum id facere sinens. Quinetiam ridebas istos qui parcerent asseruarentque et (quod esset absurdissimum) ipsi quidem sibi subtraherent vererenturque contingere, non intelligerent autem fore vt aut sceleratissimus famulus aut dispensator aut liberorum paedagogus furtim subi-
ret, ludibrio habiturus infoelicem et inamabilem herum, quem postea sinat ad fuliginosam et oris angusti lucernulam ac siticulosum scirpulum vsuris inuigilare. Quid itaque? An non iniquum, quum haec quondam incusaueris, nunc in Timone diuersa his criminari?

PLVT. Atqui si rem vere perpenderis, vtrumque me iure facere iudicabis. Nam et Timonis ista nimia lenitas, negligentia potius, haud benevolentia studiumque, quod ad me pertinet, merito videatur. At e diuerso, qui me ostiis ac tenebris inclusum seruabant, id agentes quo scilicet crassior saginatiorque ac vehementer corpulentia onustus euaderem, quum interim neque ipsi continerent neque in lucem producerent, ne uel aspicerer a quopiam, hos dementes et contumeliosos in me iudicabam, quippe qui me nihil commeritum tot in vinculis cogerent situ carieque putrescere, haud intelligentes quo mox demigrent, me alii cuiopiam cui fortuna fauerit relicturi. Nec hos igitur probo, sed ne illos quidem qui nimium facile mihi manus admouent, sed qui (quod est optimum) mediocritate vtantur, vti nec prorsus abstineant neque penitus profundant. Etenim illud, per Iouem, considera, Iuppiter. Si quis, vbi puellulam et formosam lege duxisset vxorem, postea neque obseruet nec vlla omnino zelotypia prosequatur, videlicet sinens illam noctu atque interdiu quocunque libitum sit ire, et quicunque voluissent cum his habere rem, uel producat potius vltro vt adulteretur, fores aperiens prostiturusque et quoslibet ad illam inuitans, num hic amare videbitur? Profecto hoc tu nequaquam dices, | Iuppiter, qui saepenumero amorem senseris. Rursum si ingenuam lege domum deducat vti liberos legitimos progneret, caeterum nec ipse contingat florentem aetate decoramque

4-5 atque ... computo *B*, idque ab obseruantissimis molestissimisque pedagogis ali, ad vsuram et rationem *A* | 8 connuentibus *B*, conuenientibus *A* | 20 lenitas negligentia *B*, leuitas negligentiaque *A* | 21 quod ad me pertinet *B*, in me *A*; videatur *B*, videbatur *A* | 26 cogerent *B*, me cogerent *A*; quo *D*, quod *A B C* | 33 ire ... habere rem *B*, congre-
di cum his quicunque cuperent *A*; vltro *B*, om. *A* | 34 prostiturusque *D*, ostentansque
A B C

5 virginem, nec alium sinat aspicere, sed inclusam, orbam sterilemque in perpetua virginitate contineat, idque prae amore se facere praedicet, et hunc quidem praeferat pallore, corpore exhausto, oculis refugis, num fieri potis est ut huiusmodi non despere videatur, quippe qui quum liberis oportuerit operam dare fruique coniugio, puellam adeo formosam atque amabilem sinat emarcescere per omnem vitam, tanquam Cereri sacerdotem alens? Huiusmodi et ipse indigne fero, quum a nonnullis ignominiose caedor calcibus, laniorque atque exhaasier, a nonnullis contra perinde ut stigmaticus fugitiuus compedibus vincior.

10 IVP. Quid est autem quod aduersus illos indignoris, quandoquidem vtrique poenas egregias luunt, alteri quidem dum Tantali in morem neque bibere sinuntur neque edere, sed ore sicco duntaxat inhiant auro, alteri vero dum his ceu Phyneo cibos Harpyiae ipsis e faucibus eripiunt. Sed abi iam, Timone multo posthac vsurus cordatiore.

15 PLVT. An ille aliquando desinet me ceu foraminoso cophino, priusquam omnino influxerim, data opera exhaustire, quasi conetur occupare, quo minus influam, veritus ne si copiosius infundar, ipsum vndis obruam? Quo fit ut in Danaidum dolium aquam mihi videar illatus frustaque infusurus, vase non continente liquorem, imo prius propemodum effuso quod influit quam influxerit, adeo latus dolii hiatus ad effusionem ac liber exitus.

20 IVP. Proinde ni hiatum istum obturauerit perpetuamque perstillationem sistere studuerit, te propediem effuso, facile rursum sagum et ligonem in dolii fece reperiet. Sed interim abite atque illum diuitem reddite. At tu, Mercuri, fac memineris ut rediens Cyclops ex Aetna tecum adducas, quo fulmen cuspidre restituta resarciant. Nam eo nobis acuminato opus fuerit.

25 MER. Eamus, Pluto. Quid hoc? Num claudias? Evidem ignorabam, o praeclarè, te non caecum modo verum etiam claudum esse.

PLVT. Atqui non hoc mihi perpetuum, Mercuri. Verum si quando proficis-
30 cor a Iou missus ad quempiam, tum nescio quo pacto tardus sum et vtroque claudus pede, ita ut aegre ad metam pertingere queam, sene nonnunquam interim facto qui me operiebatur. Porro quum discedendum est, alatum videbis multo auibus celeriorem. Vnde fit ut vix iam amoto repagulo ego iam praeconis voce victor pronuncier, saltu stadium transmensus ne videntibus quidem aliquoties spectatoribus.

35 MER. At ista quidem haud vera narras. Imo ego tibi permultos commemorare

6 Cereri *B*, caerei *A* | 11 Tantali *B*, tantilli *A* | 12-13 ceu Phyneo *B*, exemplo Phinei *A* | 15-18 An ... illatus (allatus *E*) *B*, Ille igitur iureiurando cohercetur ne me velut e perforato cophino, vel priusquam influxerint, properet effutire, quasi conetur occupare ne possim influere, ne si copiosius infundar, vndis illum inuoluam. Alioquin in Danaidum dolium aquam illatus videor *A* | 19-20 liquorem ... exitus *B*, verum poene priusquam infusum sit, effuso eo quod infundatur, tanto latior hiatus dolii per quem effundit, neque sisti potest effluxus *A* | 25 fuerit *B*, fiunt *A* | 27 te ... esse *B*, quod non cecus modo, verum etiam claudus esses *A*

queam, quibus heri ne obolus quidem erat quo restim emerent, qui hodie re-
pente diuites facti splendide viuant, albis quadrigis vehantur, quibus ante ne
asellus quidem suppeditarit. Ii tamen purpurati aurumque manibus gestantes
obambulant, qui ne ipsi quidem, opinor, credere possunt quin per somnium
diuites sint.

PLVT. Istaec alia res est, Mercuri. Neque enim tum meis ipsius ingredior
pedibus, nec a Ioue sed a Dite ad istos transmittor, qui et ipse nimirum opum
largitor est, ac magna donans, id quod ipso etiam nomine declarat. Itaque quo-
ties est mihi ab alio ad alium demigrandum, in tabellas iniiciunt me, ac diligen-
ter obsignantes sarcinae in morem sublatum transportant. Interea defunctus ille
alicubi in aedium tenebricosa parte iacet, vetere linteo in genua inieicto tectus,
de quo feles digladiantur. Porro qui me sperauerant obtinere, in foro operiun-
tur hiantes non aliter quam hyrundinem aduolantem stridentes pulli. Deinde
vbi signum detractum est, et lineus ille funiculus incisus apertaeque tabellae,
iamque nouus dominus pronunciatus est siue cognatus quispiam siue adulator
siue seruulus obscenus qui puerili obsequio fauorem emeruerit, etiam tum
mento subraso, pro variis et opiparis voluptatibus quas illi iam exoletus suppe-
ditauerat, ingens scilicet praemium ferens generosus quisquis ille tandem fuerit,
nonnunquam me ipsis cum tabellis arreptum fugiens adportat commutato no-
mine, vt qui modo Pyrrhias aut Dromo aut Tibius, iam Megacles aut Megabi-
zus aut Protarchus appelletur. Caeterum illos nequicquam hiantes seque mu-
tuum intuentes relinquit ac verum luctum agentes, quod eiusmodi thynnus ex
intimo sagenae sinu sit elapsus, qui non parum magnam escam deuorarit. At
hic repente totus in me irruens homo vitae mundioris atque elegantioris rudis,
pin|gui illotaque cute, qui compedes etiamdum horrescit, et si quis praeteriens
loro increpet, arrestis stet auribus quique pistrinum perinde vti templum adoret,
non est deinceps tolerandus iis quibuscum viuit, verum et ingenuos afficit con-
tumelia et conseruos flagris caedit, experiens num sibi quoque similia liceant,
donec aut scortulo cuiquam irretitus aut equorum alendorum studio captus aut
adulatoribus sese permittens deierantibus Nireo formosiorem esse, Cecrope
Codroue generosiem, callidiorem Vlysse, vnum autem vel sedecim pariter
Croesis opulentiores, momento temporis semel profundat infoelix quae minu-
tatis multis ex periuriis, rapinis, flagitiis, fuerant collecta.

MER. Ista ferme sic habent vti narras. Verum vbi tuis ipsius ingredieris pedi-
bus, qui tandem, caecus quum sis, viam inuenire soles? Aut qui dignoscis ad
quosnam Iuppiter te miserit, dignos illi visos qui diuitiis abundant?

PLVT. Enimvero credis me reperire istos ad quos mittor?

MER. Per Iouem, haudquaquam. Neque enim alioqui Aristide praeterito ad

⁶ Istaec *MS*, isthac *A B C D*, isthaec *E* | 11 in aedium tenebricosa parte iacet *B*, in aedibus
iacet in tenebris *A* | 12 sperauerant *B*, sperauerunt *A* | 16 obscenus *B*, draucus *A* | 20
Pyrrhias *E*, Pyrrhius *A B C D* | 21–22 seque mutuum intuentes *B*, *om. A* | 22 ac verum *B*,
verumque *A* | 23 qui *C*, quin *A B* | 28 experiens ... liceant *B*, licet ipse quoque eadem
quandoque expertus in sese *A*

Hipponicum et Calliam accessisses, tum ad alios permultos Athenienses, homines ne obolo quidem aestimandos. Caeterum quid facis quandoquidem es emissus?

PLVT. Sursum ac deorsum circumcursans oberro, donec imprudens in quempiam incurro. Hic autem, quisquis ille sit qui forte primus me nactus sit, abducit ac possidet, te, Mercuri, pro lucro praeter spem objecto venerans atque adorans.

MER. Num ergo fallitur Iuppiter, qui quidem credat ex ipsius animi sententia ditari abs te hos quos ille dignos existimarit qui ditescerent?

PLVT. Et iure quidem optimo fallitur, o bone, quippe qui quum me caecum esse non ignoret, emittat vestigatum rem vsqueadeo repertu difficultem et iam olim e vita sublatam, quam ne Lynceus quidem facile inueniret, quae nimurum adeo obscura sit ac minuta. Itaque quum rari sint boni, improbi porro in ciuitibus omnia obtineant, oberrans facile in huiusmodi mortales incurro ac retibus illorum illigor.

MER. At qui fit vt, quoties eos deseris, celeriter aufugias, quum viae sis ignarus?

PLVT. Tum demum acutum cerno pedibusque valeo, vbi ad fugam tempus inuitat.

MER. Iam illud quoque mihi responde, qui fit vt quum sis oculis captus (dandum enim est), praeterea pallidus, postremo claudus, tam multos habeas amantes, adeo vt omnes in te defigant oculos, et si potiantur, folices videantur; sin frustrentur, non sustineant viuere? Ex his equidem non paucos noui, qui sic perdite te amarint, vt sese aereo e scopulo piscosi in aequoris alta praecepites abiecerint, rati fastidiri sese abs te, propterea quod illos nullo pacto respexisses. Quanquam, sat scio, tu quoque fateberis, si quomodo tibi ipsi notus es, furere istos qui eiusmodi amore sunt dementati.

PLVT. At enim credis me qualis sum talem istis videri, nempe claudum aut caecum aut si quid aliud adest mihi vici?

MER. Quid ni, O Plute? Nisi forte et ipsi omnes caeci sunt.

PLVT. Haud caeci quidem, o optime, verum inscitia errorque quae nunc occupant omnia, illis offundunt tenebras. Ad haec ipse quoque ne per omnia deformis sim, persona vehementer amabili tectus inaurata gemmisque picturata ac versicoloribus amictus eis occurro. At illi rati sese natui vultus venustatem aspicere, amore capiuntur, dispereuntque nisi potiantur. Quod si quis me toto corpore renudatum illis ostenderit, dubio procul futurum sit vt se ipsi damnent, qui tantopere caecutierint adamantes res neutiquam amandas ac foedas.

¹ permultos *om.* *E* | ^{1–2} accessisses (accessissem *E*) ... aestimandos *B*, accederes, ad haec complures ex Atheniensibus alios, qui ne obolo quidem digni sint *A* | ^{24–25} sese (se *E*) ... abiecerint *B*, sese in profundum immensumque pelagus praecepites dederint ac scopulis abruptis illiserint *A*; Alludit ad carmen Theognidis **B* **C* **D* | ²⁵ nullo pacto *B*, initio non *A* | ³³ inaurata ... picturata *E*, -to ... -to *A B C D* | ³⁴ ac versicoloribus amictus *B*, *om.* *A*

MER. Quid ergo, posteaquam eo peruentum est vt iam diuites euaserint iamque personam sibi circumposuerint, rursum falluntur? Adeo vt si quis illis detrahere conetur, paene caput potius quam personam abiiciant? Neque enim verisimile est etiam tum illos ignorare auro bracteatum esse formam, quum intus cuncta inspexerint.

PLVT. Ad id non parum multae res, O Mercuri, mihi sunt adiumento.

MER. Quaenam?

PLVT. Simulatque qui me primum nactus est, apertis foris exceperit, clanculum vna mecum introit elatio, vecordia, iactantia, mollices, violentia, dolus atque alia item innumerabilia a quibus omnibus posteaquam est animus occupatus, iam admiratur quae neutiquam sunt admiranda, et appetit ea quae sunt fugienda, meque cunctorum illorum quae introierant malorum patrem stupet, illorum satellitio vallatum, quiduis potius passurus quam vti me compellatur reiicere.

MER. Vt leuis ac lubricus es, Plute, retentu difficilis ac fugax neque vllam praebens ansam certam | quo prensus teneare, sed nescio quomodo, anguillarum ac serpentum in morem, inter digitos elaberis. At e diuerso Paupertas viscosa, prensu facilis totoque corpore mille vncos gerit hamos, vt qui tetigerint illico haereant nec facile queant auelli. Verum interea dum nugamur, rem haud paruam omisimus. PLVT. Quam?

MER. Nempe quia Thesaurum non adduxerimus, quo vel in primis erat opus.

PLVT. Isthac quidem ex parte bono sis animo. Nam non nisi in terra relicto illo ad vos ascendere soleo iussoque intus manere foribus occlusis neque cuiquam aperire, nisi me vociferant audierit.

MER. Iam igitur Atticam adeamus. Tu me consequitor chlamydi adhaerens, donec extremam viam attigerimus.

PLVT. Recte facis, Mercuri, quum me per viam ducis. Etenim si me desereres, forsan oberrans in Hyperbolum aut Cleonem inciderem. Sed quis hic stridor ceu ferri saxo impacti?

MER. Timon hic est, qui proxime montanum et petricosum fudit solum. Paae, adest et Paupertas et Labor ille, tum Robur, Sapientia, Fortitudo atque id genus aliorum turba, quorum omnium agmen Fames cogit, longe praestantius quam tui sint satellites.

PLVT. Quin igitur quam ocissime discedimus, Mercuri? Neque enim vllum operae pretium fecerimus cum homine eiusmodi vallato exercitu.

MER. Secus visum est Ioui, quare ne metu deterreamur.

PAVPERTAS. Quo hunc nunc, Argicida, manu abducis?

MER. Ad hunc Timonem ad quem a Ioue sumus ire iussi.

PAV. Itane rursum Plutus ad Timonem? Posteaquam ego hunc antea deliciis

² personam C, personam ipsam A B | 12-13 illorum sat. vallatum B, quum illorum sat. vall. videt A | 15 ansam B, ausam A | 17-18 tetigerint B, attigerint A | 18 nec D, neque A B C | 24 adeamus B, superamus A | 26 desereres E, deseris A B C D | 31 cogit E, iungit A B C D | 33 Mercuri B, om. A | 36 Argicida B, Mercuri A | 38 antea B, om. A

male corruptum suscepit, commendansque Sapientiae et Labori strenuum multique precii virum reddidi? Adeone despicienda iniuriaeque idonea vobis Paupertas iudicor, vt hunc quae mihi vnitica erat possessio eripiat, iam exactissima cura ad virtutem excultum; vt Plutus hic vbi denuo suscepit, per contumeliam et arrogantiam illi manu iniecta talem reddiderit, qualis erat dudum, mollem et ignavum ac vecordem, rursum mihi restituat vbi iam nihili factus erit et reiiculus?

MER. Sic, O Paupertas, Ioui placitum est.

PAV. Evidem abeo. At vos, Labor et Sapientia reliquaque, consequimini me. Porro hic breui cognoscet qualis in se fuerim quam nunc relinquet, nempe adiutrix bona et rerum optimarum doctrix, quicum donec habuit commercium, sano corpore valentique animo perseverauit, virilem exigens vitam, et ad sese respiciens, superuacua autem et vulgaria ista aliena, ita vt sunt, existimans.

MER. Discedunt illi: nos ad eum adeamus.

TIM. Quinam estis, o scelesti? Aut qua gratia huc aduenistis homini operario mercenarioque negotium exhibituri? Verum haudquaquam laeti abilis, scelesti vt estis omnes, nam ego vos ilico glebis et saxis petitos comminuam.

MER. Nequaquam, O Timon; ne ferito, neque enim feries mortales; verum ego sum Mercurius, hic Plutus. Misit nos Iuppiter, votis tuis exauditis. Quare, quod bene vertat, opes accipe desistens a laboribus.

TIM. Atqui vos iam ploraueritis, etiam si dii sitis, vt dicitis. Siquidem odi pariter omnes, tum deos, tum homines. Sed hunc caecum, quisquis hic fuerit, mihi certum est ligone impacto comminuere.

PLVT. Abeamus per Iouem, Mercuri, quandoquidem hic homo mihi videtur non mediocriter insanire, ne malo quopiam accepto discedam.

MER. Ne quid ferociter, Timon; quin exue potius penitus istam ferocitatem asperitatemque ac manibus obuiis excipe bonam fortunam. Rursum diues esto, rursum Atheniensium princeps, et ingratos illos despicio quum solus florebis.

TIM. Nihil mihi vobis est opus, ne obturbate. Sat opum mihi ligo. Praeterea fortunatissimus sum, si nemo propius ad me accesserit.

MER. Adeone quaeo inhumaniter?

Haec ego saeva Ioui refero atque immania dicta?

Atqui par erat forsitan homines tibi haberri inuisos, vt qui tam multa indigna in te commisissent: deos odio te prosequi nequaquam erat consentaneum, quum illi tantopere tui curam agant.

TIM. At tibi, Mercuri, Iouique quod me respicitis, plurimam equidem habeo gratiam. Caeterum hunc Plutum nequaquam recepero.

MER. Quid ita?

¹ male corruptum *B*, turpiter gerentem sese *A* | 2–3 Paupertas *MS C, om. A B* | 6 ac vecordem *B, om. A* | 7 Ioui *B*, iam *A* | 17 feries *B*, ferieris *A* | 21 hunc caecum *B*, huic caeco *A*; hic *E*, is *A B C D* | 22 ligone impacto comminuere *B*, ligonem impingere *A* | 32 Haec ... dicta? *B*, Huncine sermonem Ioui renuncio saevum et ferocem *A*

TIM. Quoniam pridem innumerabilium malorum hic mihi fuit author, quum me assentatoribus proderet, insidiatores in me inuitaret, conflaret odium, illecebri corrumperet, inuidiae obnoxium redderet, denique quum repente me adeo perfide ac proditorie destituerit. Contra Paupertas | optima, me laboribus viro dignissimis exercens mecumque vere et libere conuiuens, et quibus opus erat suppeditauit laboranti, et vulgaria ista docuit contemnere, effecitque ut mihi vitae spes omnis ex me ipso penderet, demonstrans quaenam essent opes verae meae, nempe quas neque adulator assentans neque sycophanta minitans neque plebes irritata neque concionator suffragiorum author neque tyrannus intentis insidiis queat eripere. Itaque iam validus effectus ob laborem, dum hunc agelum gnauiter exerceo neque quicquam eorum quae sunt in ciuitate malorum aspicio, abunde magnum et sufficientem victum mihi ligo suppeditat. Quare tu, Mercuri, quam venisti viam remetiens recurre, vna tecum Plutum adducens ad Iouem. Illud mihi sat fuerit, si effecerit ut omnes mortales per omnem aetatem eiulent.

LB 262
5

10

15

MER. Nequaquam, o bone, neque enim omnes ad eiulandum sunt accommodi. Quin tu iracunda pueriliaque ista missa face, ac Plutum excipe. Non sunt reiicienda munera quae a Ioue proficiscuntur.

PLVT. Vin, Timon, ut contra te partes defendam meas, an grauiter feres si quid dixero?

20

TIM. Dicito, ne multis tamen, neque cum prooemiis, quemadmodum perditissimi isti solent oratores. Nam huius Mercurii gratia te feram paucis dicentem.

PLVT. Atqui multis mihi potius erat dicendum, tot nominibus abs te accusato. Attamen vide num qua in re te quemadmodum ais laeserim, qui quidem dulcissimarum quarumque rerum tibi extiterim author opifexque autoritatis, praesidentiae, coronarum, aliarum item voluptatum. Mea opera conspicuus eras, celebris et obseruandus. Caeterum si quid molesti ab adulatoribus accidit, non mihi potes imputare; quin ipse magis abs te sum affectus contumelia, propterea quod me tam ignominiose viris illis execratis suppeditaris, qui te mirabantur ac praestigiis dementabant mihiique modis omnibus insidias struebant. Porro quod extremo loco dixisti, te a me proditum desertumque fuisse, istud criminis in te possum retorquere, quum ipse sum modis omnibus a te reiectus preecepisque exactus ex aedibus. Vnde pro molli chlamyde sagum istud charissima tibi Paupertas circumposuit. Itaque testis est mihi hic Mercurius, quantopere Iouem orauerim ne ad te venirem, qui tam hostiliter essem in me debacchatus.

25

30

35

MER. At nunc vides, Plute, in cuiusmodi hominem sit commutatus. Proinde

¹ hic MS C, om. A B | 2-3 proderet ... corrumperet C, proderet B (insid. ... corrumperet add. MS) proderat, immittens qui insidiis appeterent, simultatem excitarent, mollicie perderet A | 6 laboranti B, laborauit A | 7 penderent A, corr. B | 11 grauiter A, corr. B | 13 qua A, corr. B | 19 Vin B, Vni A | 21 Dicito ne B, dicide nec A | 22 te B, tu A | 30 suppeditans A B C D, corr. E | 31-32 Porro ... istud B, Illud postremo loco dicebas, quod te prodiderim, ast isthuc contra A | 37 cuiusmodi B, cuius A

audacter cum illo consuetudinem age. Tu vero fode ita ut facis. Tu interim Thesaurum sub lagonem adducito. Audiet enim si tu accersueris.

TIM. Parendum est, Mercuri, rursusque ditescendum. Quid enim facias quum dii compellant? Tamen vide in quas turbas me miserum coniicies, qui quidem quum ad hunc usque diem foelicissime vixerim, tantum auri repente sum accepturus, nihil commeritus mali, tantumque curarum suspecturus.

MER. Sustine, Timon, mea gratia, tametsi graue est isthuc atque intolerandum, quo videlicet palpones illi prae inuidia rumpantur. Ego porro superata Aetna in coelum reuolauero.

PLVT. Abiit ille quidem, sicut apparet. Nam ex alarum remigio facio coniecuram. Tu vero hic operire, siquidem digressus Thesaurum ad te transmittam, sed feri fortius. Tibi loquor, auri Thesaure, Timoni huic audiens esto, offerque temet eruendum. Fodi, Timon, altius impingens. Caeterum ego a vobis digredior.

TIM. Age iam, o ligo, nunc mihi tuas vires explica, neque defatigere, dum ex abdito Thesaurum in apertum euocaris. Hem, prodigorum author Iuppiter, amici Corybantes ac lucifer Mercuri, vnde nam auri tantum? Num somnium hoc est? Metuo ne carbones reperturus sim experrectus. Atqui aurum profecto est insigne, fuluum, graue et aspectu multo iucundissimum.

Pulcherrima Aurum faustitas mortalibus,

quippe quod ignis in morem ardens noctesque et dies renides. Ades, o mihi charissimum desideratissimumque. Nunc demum credo vel Iouem ipsum olim aurum esse factum. Etenim quae tandem virgo non exorrecto sinu usque adeo formosum amatorem excipiat per tegulas illapsum? O Mida Croeseque ac munera Delphico in templo dicata, ut nihil eratis si cum Timone cumque Timonis opibus conferamini, cui ne Persarum quidem rex par est! O ligo, sagum charissimum! vos huic Pani suspensi commodum est. At ego quam maxime semotum mercatus agrum turriculaque seruandi auri gratia constructa, vni mihi affatim vixerio. Sepulchrum item inibi mihi defuncto parare est sententia. Haec igitur

decreta sunto placitaque in reliquum vitae, sciunctio, ignorantia, fastidium erga mortales omneis. Porro amicus, hospes, sodalis aut ara misericordiae, merae nugae! Tum commiserari lachrymantem, suppeditare egentibus, iniquitas ac morum subuersio. At vita solitaria qualis est lupis, unusque sibi amicus Timon, caeteri omnes hostes et insidiarum machinatores. Cum horum quopiam congregandi piaculum, adeo ut si quem aspexero duntaxat, inauspicatus sit ille dies. In summa, non alio nobis habeantur loco quam signa saxea aereae, neque feciлем ab illis missum recipiamus, neque foedera feriamus; solitudo terminus esto. Caeterum tribules, cognati, populares, postremo patria ipsa, frigida quaedam et

¹ ita ut facis *B*, quantum potes *A* | ⁸ inuidia *B*, inedia *A* | ³³ unusquisque *C*, unus *D E* | ³⁶ habentur *E* | ³⁷ solitudo terminus esto *D*, mons hic solitudinem meam aduersus illos tueatur *A B C*

sterilia nomina, stultorumque mortalium gloriae. Solus Timon diues esto, despiciat omnes, solus ipse secum oblectetur, liber ab assentationibus et onerosis laudibus, diis sacra faciat, epuletur solus sibi ipsi vicinus, sibi particeps, excutiens sese ab aliis. Ac semel decretum esto, vt vnu se ipsum comiter accipiat, si moriendum sit aut necesse habeat sibi ipsi coronam admouere, nullumque nomen sit dulcius quam Misanthropi, id est hominum osoris; morum autem notae difficultas, asperitas, feritas, iracundia, inhumanitas: quod si quem conspexero incendio conflagrantem obtestantemque quo restinguam, pice oleoque restinguere. Rursum si quem flumen vndis abstulerit, isque manus porrigens imploret vt retineatur, hunc quoque demerso capite propellere ne possit emicare. Hunc ad modum par pari relatus est. Hanc legem Timon tulit Echecratides Colytensis et contionis subscrispsit suffragiis idem ille Timon. Age haec decreta sunto, haec fortiter tueamur. Caeterum magno emerim vt id omnibus innotescat, quod opibus abundo. Nam illa res illos praefocauerit. Sed quid illud? Hem, quae trepidatio! Vnde concurrunt puluerulenti atque anheli, haud scio vnde aurum odorati. Vtrum igitur hoc consenso colle saxis eos abigo e sublimi deiaculans, an hac tantum in re legem violabimus, vt semel cum illis congregiamur, vt magis angantur fastiditi repulsique? Ita satius esse duco. Itaque restemus quo illos iam excipiamus. Age prospiciam: primus eorum iste quis est? Nempe Gnatonides adulator, qui mihi nuper coenam petenti funem porrexit, quum apud me saepenumero solida dolia vomuerit. Sed bene est quod ad me venit, nam primus omnium vapulabit.

GNATO. An non dixi Timonem virum bonum non neglecturos esse deos? Salve, Timon formosissime, iucundissime, conuiuator bellissime.

TIM. Scilicet et tu, Gnatonides, vulturum omnium edacissime atque hominum perditissime.

GNATO. Semper tibi grata dicacitas. Sed vbi compotamus? Nam nouam tibi adfero cantilenam ex his quos nuper didici dithyrambis.

TIM. Atqui elegos canes admodum miserabiles ab hoc doctus ligone.

GNATO. Quid isthuc? Feris, O Timon? Attestor, O Hercules, hei, hei! In ius te voco apud Ariopagitas, qui vulnus dederis.

TIM. Atqui si cunctere paulisper, mox caedis me reum ages.

GNATO. Nequaquam, quin tu plane vulneri medere paululo auri inuncto. Mirum enim in modum praesentaneum id est remedium.

TIM. Etiam manes?

GNATO. Abeo. At tibi male sit, qui quidem ex viro commodo tam saeuus factus sis.

TIM. Quis hic est qui accedit, recaluaster ille? Philiades, assentatorum om-

² oblectet *A*, corr. *B* | 3–4 executiens *B*, corr. *MS C* | 4–5 Ac semel ... habeat *B*, at tantum semet vnum accipere certum esto quod si moriendum est *A* | 5 admouere *B*, accipere *A* | 10 propellere *C*, propellere *A B* | 12 et contionis ... Timon *B*, idem in comitiis suffragia tulit *A* | 20 coenam *D*, symbolum *A B C* | 23 GNATO. An non dixi *B*, Gnatonides dixi in *A* | 33 mederi *A*, corr. *B* | 34 enim *B*, emitis *A* | 37 sis *B*, sis auri gratia *A*

nium execratissimus. Hic quum a me solidum acceperit fundum, tum filiae in dotem talenta duo, laudationis praemium, quum me canentem reliquis silentibus omnibus solus maiorem in modum extulisset, deierans me vel oloribus magis canorum, vbi me pridem aegrotum conspexisset, nam adieram oratus
5 vt mei curam ageret, plagas etiam egregius ille vir impegit.

PHIL. O impudentiam, nunc demum Timonem agnoscitis, nunc Gnatoides amicus et conuiua: enimvero habet ille digna se, quandoquidem immemor est atque ingratus. At nos qui iam olim conuictores sumus aequales ac populares, tamen modeste agimus, ne insilire videamur. Salve, here, fac vt istos adulatores
10 sacrilegos obserues, qui nusquam adsunt nisi in mensa, praeterea a coruis nihil differunt. Neque posthac huius aetatis mortalium vlli fidendum est; omnes ingratii et scelesti. At ego quum tibi talentum adducerem quo posses ad ea quae velles vti, in via accepi te summas quasdam opes esse nactum. Proinde accessi his de rebus admonitus te, quanquam tibi forsitan me monitore nihil erat
LB 264 16 opus, viro nimirum adeo prudenti vt vel Nestori ipsi, si necesse est, | consilium dare queas.

TIM. Ita fiet, Philiades, sed age, accede quo te ligone comiter accipiam.

PHIL. Viri, caput mihi communatum est ab hoc ingrato, propterea quod eum ea quae in rem illius erant admonui.

20 TIM. Ecce tertius huc orator Demeas se recepit, tabulas dextra gestans, aitque se mihi cognatum esse. Hic vna die de meo sedecim talenta ciuitati dependit. Nam damnatus erat ac vincitus, at quum soluendo non esset, ego misertus illum redemi. Porro quum illi sorte obuenisset vt Erechteidi tribui distribueret aerarium, atque ego adiens id quod ad me redibat poscerem, negabat se ciuem nosse
25 me.

DEM. Salve, Timon, praecipuum generis tui praesidium, fulcimentum Atheniensium, defensaculum Graeciae. Profecto iamdudum te populus frequens et vtraque curia operitur. Sed prius decretum audi quod de te conscripsi: Quandoquidem Timon Echecratidae filius Colytensis, vir non modo probus et integer, verum etiam sapiens, quantum alias in Graecia nemo, nunquam per omne
30 vitam destitit optime de re publica mereri: tum autem in Olympicis vicit pugil et lucta cursuque die eodem, ad haec sollemni quadriga equestri certamine...’

TIM. At ego ne spectator quidem unquam in Olympicis sedi.

35 DEM. Quid tum? Spectabis posthac, sed ista communia addi satius est. ‘...Tum anno superiore aduersus Acharnenses pro re publica fortissime se gessit, et Peloponensium duas acies concidit...’

TIM. Qua ratione? Quippe qui nec vnquam arma gesserim, neque vnquam militiae dederim nomen.

4 magis *E*, magis esse *A B C D* | 10 sacrilegos *MS C, om. A B* | 13 via *C*, via interim *A B* |
20 recepit *B*, recipit *A* | 24 poscerem *B*, reposcerem *A* | 30 nunquam *B*, quum nunquam
A | 37 Peneloponensium *B*, corr. *MS C*; concidit *E*, fudit *A*, concidit *B C D*

DEM. Modeste tu quidem de teipso loqueris. Nos tamen ingrati futuri sumus nisi meminerimus. ‘...Praeterea scribendis plebiscitis et in consultationibus et in administrandis bellis non mediocrem vtilitatem attulit reipublicae: his de causis omnibus visum est curiae, plebi, magistratibus tributim, plebeis singulatim, communiter vniuersis, aureum statuere Timonem iuxta Palladem in arce fulmen dextra tenentem, radiis tempora ambientibus, vtque septem aureis coronis coronetur: haec coronae hodie in Dionysiis per tragoedos nouos promulgantur. Siquidem hodie illi Dionysia sunt agenda. Dixit hoc suffragium De-
meas orator, propterea quod cognatus illius propinquus ac discipulus eius sit. Nam et orator optimus Timon, praeterea quicquid voluerit.’ Hoc igitur tibi suffragium, sed vtinam et filium meum ad te pariter adduxissem quem tuo nomine Timonem appellaui.

TIM. Qui potes, Demea, quum ne vxorem quidem duxeris vñquam, quantum nobis scire licuit?

DEM. At ducam nouo ineunte anno, si deus permiserit, liberisque operam dabo. Tum quod erit natum (erit autem masculus), Timonem nuncupabo.

TIM. An vxorem tu sis ducturus, equidem haud scio, tanta a me plaga accepta.

DEM. Hei mihi! Quid hoc est rei? Tyrannidem Timon occertas? pulsasque eos qui sunt ingenui, ipse nec ingenuus plane nec ciuis? verum propediem poenas daturus, quum aliis nominibus tum quod arcem incenderis.

TIM. Atqui non conflagravit arx, sceleste. Proinde palam est te calumniatorem agere.

DEM. Verum effosso aerario diues effectus es.

TIM. Atqui non est effossum isthuc, vnde ne haec quidem probabiliter abs te dicuntur.

DEM. Verum effodietur posthac, sed tu interim omnia quae in eo condita possides.

TIM. Alteram itaque plagam accipe.

DEM. Hei scapulis meis!

DEM. Ne vociferare, alioqui et tertiam tibi illidam. Etenim res plane ridicula mihi acciderit, si quum inermis duas Lacedaemoniorum acies fuderim, vnum scelestum hominem non protriuero. Tum frustra vicerim in Olympiis et pugil et palaestrites. Sed quid hoc? An non philosophus Thrasycles hic est? Profecto ipsus est, promissa barba subductisque superciliis et magnum quiddam secum murmurans accedit, Titanicum obtuens, caesariem per scapulas fluentem ventilans, alter quidam Boreas aut Triton quales eos Zeuxis depinxit. Hic habitu frugalis, incessu moderatus, amictu modestus, mane mirum quam multa de virtute disserit, damnans eos qui voluptate capiuntur, frugalitatem laudans. At vbi lotus ad coenam venit puerque ingentem illi calicem porrexit, meraciore

4-5 singulatim C D E | 6 vtque C, vtique A B | 12 appellaui B, appellam A | 13 potes D, potest A B C | 25 est A B C, om. D E; ne B, me A.

autem maxime gaudet, perinde vt Lethes aquam ebibens, a diluculariis illis disputationibus diuersissima quae sint exhibet, dum milui instar praeripit obsonia,

et proximum cubito opposito arcens, mento interim condimentis oppleto; dum canum ritu ingurgitat, prono incumbens corpore, perinde atque in patinis virtutem inuenturum sese speret; dumque vsquead eo diligenter catinos exter-

LB 265 6 git indice digito, vt ne paululum quidem reliquiarum sinat adhaerere, nunquam non querulus, tanquam deteriorem partem acceperit vel si totam placentam aut suem solus omnium accipiat, qui quidem edacitatis et insatiabilitatis est fructus, temulentus, vinoque bacchatus, non ad cantum modo saltationemque, verum

10 ad conuicium vsque et iracundiam. Ad haec multus inter pocula sermo (tum enim vel maxime) de temperantia sobrietateque atque ista quidem loquitur, quum iam a mero male affectus ridicule balbutit. Accedit his deinde vomitus. Postremo sublatum eum de conuiuio efferunt aliqui ambabus manibus tibicinae inhaerentem, quanquam alioqui ne sobrius quidem vlli primiorum cesserit vel

15 mendacio vel confidentia vel auaritia. Quin et inter assentatores primas tenet, peierat promptissime, anteit impostura, comitatur impudentia. In summa prorsus admirandum quoddam spectaculum est, omni ex parte exactum varieque absolutum. Proinde non eiulabit clarius videlicet quum sit modestus. Quid hoc? Papae, tandem nobis Thrasycles?

20 THRAS. Non hoc animo ad te venio, Timon, quo plerique isti, qui nimirum opes admirati tuas argenti, auri, opiparorum conuiuorum adducti spe concurrunt, multaque assentatione deliniunt te, hominem videlicet simplicem facileque impatientem id quod adest. Siquidem haud ignoras offam mihi in coenam sat esse, tum obsonium suauissimum caepe aut nasturtium aut, si quando lubeat

25 lauti epulari, pusillum salis. Porro potum fons Athenis nouem saliens venis suppeditat. Tum pallium hoc quavis purpura potius. Nam aurum nihilo magis apud me in precio est quam calculi qui sunt in littoribus. Sed tua ipsius gratia

huc me contuli, vt ne te subuerterit pessima ista atque insidiosissima res, opulentia, quippe quae multis saepenumero immedicabilium malorum extiterit causa.

LB 266 30 Etenim si me audies potissimum, opes vniuersas in mare praecipitabis, vtpote quibus nihil sit opus bono viro quique philosophiae possit opes perspicere. Ne tamen in altum, o bone, sed ferme ad pubem vsque ingressus, paulo

vltra solum fluctibus opertum me quidem vno spectante. Quod si hoc non vis, tute igitur eas potiore via ex aedibus eiicito, ac ne obolum quidem tibi facias reliquum, videlicet largiens iis quicunque opus habent, huic quinque drachmas, illi minam, alii talentum. Porro si qui erit philosophus, hunc aequum est duplam aut triplam ferre portionem, quanquam hoc quidem mihi non mea ipsius gratia postulo sed quo amicis, si qui egebunt, donem. Sat est si modo peram hanc largitione tua expleueris, ne duos quidem modios Aeginiticos capientem.

¹ gaudet *B*, *om. A*; diluculanis *A*, corr. *B* | ⁹ vinoque bacchatus *B*, atque ebrius *A* | ¹¹ ista quidem loquitur *B*, id quidem (vt aiunt) *A* | ¹⁹ papae *B*, *om. A* | ²² deliniunt *MS C*, desinunt *A B* | ²³ ignoras *B*, ignores *A* | ²⁶ potius *B*, potior *A* | ²⁸ vt *B*, vti *A*

Nam paucis contentum modestumque conuenit esse eum qui philosophatur,
neque quicquam vltra peram cogitare.

TIM. Evidem ista quae dicas probo, Thrasycles. Ergo si videtur, priusquam
peram expleam, age tibi caput opplebo tuberibus, posteaquam ligone sum men-
sus.

THRAS. O libertas, o leges, pulsamur ab impurissimo libera in ciuitate?

TIM. Quid stomacharis, o bone Thrasycles? Num te defraudauit? Atqui adii-
ciam vltra mensuram choenices quattuor. Sed quid hoc negotii? Complures si-
mul adueniunt. Blepsias ille et Laches et Gniphon, breuiter agmen eorum qui
vapulabunt. Itaque quin ego in rupem hanc concendo ac ligonem quidem iam-
dudum fatigatum paulisper interquiescere sino? At ipse plurimis congestis saxis,
procul eos lapidum grandine peto.

BLEPSIAS. Ne iace, Timon; abimus enim.

TIM. At vos quidem nec citra sanguinem nec absque vulneribus.